





Die XX. Nouembris.

IN FESTO S. FELICIS de VALOIS CONFESSORIS,

Et Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captiuorum Fundatoris.

A Sacrorum Rituum Congregatione pro tota Italia concessum.

DUPLEX.

Omnia de Communi Cōfessoris non Pontificis, vt in Breviario Rom: præter Orationem & Lectiones secundi Nocturni. In Hymno, Iste Confessor, *dicitur,* Hac die lætus meruit supremos Laudis honores.

Oratio.

DEVS, qui Beatum Felicem Confessorem tuum ex eremo ad munus redimendi captivos cælitus vocare dignatus es: Præsta quæsumus, ut per gratiam tuam ex peccatorum nostrorum captivitate, eius intercessione, liberati, ad cælestem patriam perducamur. Per Dominum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

FElix, Hugo antea dictus, ex regali Valesiorum familia ortus in Gallia, ab ineunte ætate non levia dedit futuræ sanctitatis indicia, præsertim misericordiæ erga pauperes: nam adhuc infantulus manu propria, ac si grandior esset, & iudicii maturitate polleret, nummos egenis, distribuit. Iam grandiusculus, solebat ex appositis in mensa dapibus ad ipsos mittere, & ferme eo, quod sapidius erat, obsonio paupercu-los pueros recreabat. Adolescens non semel ve-

ftibus fe fpoliavit, vt inopes cooperiret. Ab Avunculo Theobaldo Cãpaniæ, & Blefii Comite vitam reo mortis impetravit, prædicens, hunc infamem hactenus ficarium, mox fanctiffimis præditum moribus evafurum: veridicum teftimonium monftrauit eventus.

Lectio V.

Poft exactam laudabiliter adolefcentiam, cœpit ex cæleftis cõtẽplationis ftudio folitudinem cogitare, priùs tamen voluit facris initari, ut omnem regni, à cuius fucceffione, iure Legis Salicæ, non longè diftabat, fpem fibi præcideret. Sacerdos factus, & prima Miffa deuotiffimè celebrata, non multò poft in eremum feceffit, ubi fumma abftinentia victitans cæleftium charifmatum abũdantia pafceretur. Ibi cum Sancto Ioanne de Matha Parifienfi Doctore, à quo ex divina infpiratione quæfitus, & inventus, per aliquot annos fanctiffime vixit, donec ambo per Angelũ à Deo admoniti Romam petierunt, fpecialem à Summo Pontifice viuendi regulam impetraturi. Facta igitur Innocentio Papæ Tertio inter Miffarum folemnia reuelatione, Religionis, & Inftituti de redimendis Captivis ab ipfo Pontifice, fimul cum Socio, candidis veftibus bicolori Cruce fignatis induitur, ad eam formam, qua Angelus indutus apparuit; & infuper voluit Pontifex, vt noua Religio iuxta triplicem colorem, quo habitus conftat, Sanctiffimæ Trinitatis titulo decoraretur.

Lectio VI.

Regula propria ex Sũmi Pontificis Innocentii confirmatione accepta, in Diœcefi Meldenfi apud locum, qui Ceruus Frigidus dicitur, primum Ordinis paulò antè à fe & focio extructum Cœnobium amplicauit, vbi Religiofam obferuantiam, & redemptionis Inftitutum mirificè

ficè coluit, ac indè per Alumnos in alias Provincias diligentissimè propagavit. Illustrem hîc à beata Virgine Matre favorem accepit; dormientibus siquidem cunctis fratribus, & ad matutinas preces in Pervigilio Nativitatis Deiparæ media nocte recitandas. Deo sic disponente, non surgentibus; Felix de more vigilans, & horas præveniens, Chorum ingressus reperit beatam Virginem in medio Chori habitu Cruce ordinis insignito indutam, ac Cælitibus similiter indutis sociatam. Quibus permixtus Felix, præcinente Deipara, laudes divinas concinuit, riteque persolvit. Et quasi iam à terrestri ad Cælestem Chorum evocaretur instantis mortis ab Angelo certior factus filios ad charitatem erga pauperes, & Captivos adhortans, animam Deo reddidit, ætate, ac meritis cōsummatus, anno post Christum natum ducentesimo duodecimo supra millesimum, sub eodem Pontifice Innocentio Tertio.

In tertio Nocturno.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri. Nolite timere pusillus grex, &c. *ut in Communi Confessoris non Pontificis.*




J